Sala 5
Gab. –
Est. 56
Tab. 7
N.º 1

Sala 5
Gab. —
Est. 56
Tab. 7
N.º 1

UNIVERSIDADE DE COIMBRA
Biblioteca Geral
1301500922

Sal

1818

ILLVSTRISSIMO

AC

PRAESTANTISSIMO . DOMINO

EMMANVELI . IOSEPHO
COVTINHO . PEREIRA
DE . SOVSA . E . MENESES

SANCTAE . CATHEDRALIS . ECCLESIAE . CONIMBRICENSIS

CANONICO

NOBILITATE . ATQVE . DOCTRINA

EXORNATISSIMO . VIRO

OB . INGENVAM . AC . PERENNEM

ERGA . SE . AMICITIAM

BENEFICIAQVE . SIBI . COLLATA

IN . PERPETVVM . GRATI . ANIMI

MONVMENTVM

D. O. C.

SEBASTIANVS . DE . ALMEIDA . E . SILVA

b24535205

# THESES

*EX*

*UNIVERSA MEDICINA DECERPTAS,*

QUAS

SUB PRAESIDIO

CLARISSIMI AC SAPIENTISSIMI

## D. D. FRANCISCI DE SOUSA LOUREIRO,

FACULTATIS MEDICAE PROFESSORIS

P. O.

IN GYMNASIO CONIMBRICENSIS ACADEMIAE

*INTEGRA DIE 9 HUJUS MENSIS*

*PROPUGNANDAS OFFERT*

SEBASTIANUS DE ALMEIDA E SILVA.

INAUGURALI DISSERTATIONI

AMPLISSIMI AC SAPIENTISSIMI

# MEDICORUM ORDINIS

DECRETO

*ARGUMENTUM SUPPEDITAT:*

*Unde Calor animalis, et sanguinis rubedo?*

*Molesta quidem haec Medica vita est; sed quantum dulcis, Sancte Deus, et immortalis!*

BAGLIVI.

# *Ex Anatomia, Operationibus Chirurgicis, et Arte Obstetricia.*

I.

CUicunque glandulae parenchyma peculiare est; neque ideo a vasis solum cellulosaque tela conflatur.

II.

Cerebri circumvolutiones in membranam facile diducuntur.

III.

Olfactorius tantum nervus a cerebro originem ducit; aliorum vero radices ad Varolii pontem, vel oblongatam medullam consequi licet.

IV.

Nervorum rami copulate perspecti, quo propius descendunt, ad coni figuram augentur, et semper truncos mole superant.

V.

Cujusdam cinereae substantiae, cerebri corticali analogae, ad nervos roborandos ganglia sunt praedita.

VI.

Bronchiorum ramuli innumerabiles; et in ampullam seclusam quisque desinit.

VII.

Corpus *reticulare* Malpighianum humano generi coloris sedes.

VIII.

In arteriae popliteae aneurismatibus Hunteriana methodus praeferenda.

IX.

Graviditatis periodum ultra nonum mensem protendi posse, ratione et observationibus demonstratur.

# *Ex Medicis Institutionibus, atque Chirurgicis.*

I.

OMnia corporis humani systemata congenita sunt, quanquam diversis temporibus incrementum adcipiant, et visibilia reddantur.

II.

Non *mechanice*, non *chemice*, animalis oeconomiae functiones omnino explicari possunt.

III.

Non solum vita, sed etiam sanitas in conditionibus fere oppositis non raro persistunt.

IV.

Ad quaedam organa in cerebro latitantia Sensus internos pertinere, probabile videtur.

V.

Sanguinem a stomacho vacuo refluentem recipere, elaborare, splenis probabilissima functio.

VI.

In semine vitalitatis vestigia satis comprobantur.

VII.

Victus ratio, et vitae genus, moribus efformandis maxime concurrunt; ex quibus homines physice, ac moraliter etiam quodammodo immutare, nobis datum.

VIII.

Brunonis *opportunitas* cum *praedispositione* aliorum minime confundenda.

IX.

Moribundos aliquoties maiorem mentis vim patefacere, certum est; cujus phaenomeni causam merito viribus, tunc adhuc manentibus, ad encephalon in unum coactis tribuimus.

## *Ex Materia Medica, atque Pharmacia.*

I.

MEdico inprimis necessaria Chemica doctrina.

II.

Omnium medicamentorum actio non stimulo, non excitationi tribuenda.

III.

Specifica medicamenta, non quoad morbos, sed quoad organa, et systemata adcipienda.

IV.

Aegroto adhuc vigente, frigida balnea *tonica;* viribus autem labefactato, maxime *sedantia.*

V.

Digitalis purpurea sanguineum systema sedat; lymphaticum vero incitans, plurimum diuresin movet.

VI.

Aether *aceticus* vere exsistit; atque ad sulphurici proprietates ac virtutes maxime adfinis.

VII.

Eadem mercurialia praeparata, juxta officinarum variam manipulationem inter se satis differunt; unde, in adplicatione medicinali, discrimen et ambiguitas.

VIII.

Vina medicata, officinalia dicta, a Dispensatoriis proscribere debemus: in eorum autem extemporanea praeparatione Parmentieri methodum ducimus insequendam.

IX.

Pellicula in conficiendis vegetabilium extractis supranatans, paulumque post evaporatorii fundum vasis petens, calcarea est; nec ab oxygenatione explicanda.

# *Ex Therapeutica Medica, atque Chirurgica.*

I.

GEneris humani hodierna constitutio debilis, et morbis polymorphis obnoxia; quocirca Medicina in morbis utendum prudentiori.

II.

A vitae viribus nonnunquam morbi, etsi graviores, superantur.

III.

Febrium continuarum distributio nosologica nulla hucusque, quam Pineliana, felicior et utilior.

IV.

Febres intermittentes perniciosae non omnes ataxicae.

V.

Omne locale actionis organicae incrementum, quod perstabilitam functionum harmoniam conturbet, ibique intextum alteret, tanquam Phlegmasia spectari oportet.

VI.

Perraro Hydrocephali radicalis curatio; mercuriales autem inunctiones ad salivationem usque semper tentandae.

VII.

Tuberculum lymphaticam fuisse glandulam, praegressa diuturnaque inflammatione induratam, et inde caseosa materia aut alia repletam, credendum.

VIII.

A Catarrho, Febre catarrhosa, et Asthmate Phthisis oriri potest.

IX.

Phthisin, praecipue tuberculosam, hereditariam, et etiam contagiosam judicamus.

X.

Melancholia et Hypochondriasis perquam ordinariae sunt Haemorrhoidis causae.

XI.

In Hydrope sicco ventris, a purgantibus, diureticisque stimulantibus cavendum.

XII.

Primis Diabetis temporibus, antequam morbus et relaxatione et habitu protrahatur, Rolliana praestantissima methodus.

XIII.

Arthritis, nisi producta, saltem acidi phosphorici seu carbonatis calcarei exuberatione semper comitata; unde Aetiologiam et therapiam instituere facilius.

XIV.

In quocunque graviditatis tempore, urgente morbo, medicationes mulieri propinare licet.

XV.

Vaccinica insitio, si recte peragatur, utilissima.

XVI.

In ulceribus artuum inferiorum quies, positioque horisontalis nec semper juvant.

XVII.

Vere exsistit Febris gangraenosa, quae miserrime letlium adfert post seras amputationes.

XVIII.

## *Ex Hippocratis Aphorismorum Libro.*

SEct. 1. Aphor. 3. *Corpora exercitatorum*, etc.
——— ead. ——— 13. *Senes facillime jejunium*, etc.
——— 2. ——— 6. *Quicunque dolentes*, etc.
——— 5. ——— 7. *Mulier, ſi marem concepit*, etc.

CONIMBRICAE,
TYPIS ACADEMICIS: A. D. MDCCCXVIII.
*Episcopi Dioecesani Permissu.*

PRICE
PRICE
1 23456 78900 5